



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

In Fvrvs Sidronii Hosschii ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

IN FVNVS
SIDRONII HOSSCHII
E SOCIETATE IESV.

Cùm tristem de eius obitu nuntium accepisset Assisij in Umbriâ, vbi cum fratre suo Paulo Æmilio Rondinino S. R. E. Cardinale, Assisij Episcopo, morabatur.



*Um fecunda suis me detinet Umbria
campis,
Umbria siluosis ardua verticibus;
Aurâq; vere nouo Zephyris impulsa serenis
Molliter argutis obstrepat in folijs;
Diffunditq; animum ruris conspecta voluptas,
Hei mihi, quos luctus nuntia fama tulit!
Ut nihil in terris liquidum est! ut Numina sæpè
Dulcibus admiscant rebus amaritiem!
Hosschiades, (quid nunc faciles in carmina Musæ,
Quæq; erat ingenio laurea parta iuuant?)*

O 2

Hosschia-

Hosschiades, quo se tantum iactabat alumno
 Belgica Romanis emula nominibus,
 Quantum, quæ Latio Cyrenen prouocat ore,
 Umbria Callimacho facta superba suo;
 Ille decus vatum, leto præreptus iniquo est,
 Dum canit, & gratâ sidera voce tenet.
 Sic ubi sensit olor gelidæ succumbere morti
 Lumina, vitinas præcinit exequias.
 O nemora, ô dulces, quos hæc habet ora, recessus;
 Doctarum sedes hospita Pieridum,
 Vos eritis testes, ut mors hæc funditus omnes
 Surripiat nostro delicias animo.
 Nec me iam Verni capiat clementia cali,
 Nec varium terræ fertilis ingenium.
 Hic videas molli cliuōsos tramite colles;
 Difficiles illic ad iuga summa vias.
 Illic saxa inter fluuiō Clitumnus amæno
 Profilit: hic niueos integit umbra lacus.
 Clitumnus, quo non Cæleri, non alter Iaccho
 Gratiōr, & niueo, qui bibit inde, gregi.
 Oppida nunc miror crebris succrescere siluis,
 Et nemora antiquas inter opaca domos.
 Nunc miror positas altis in montibus arces,
 Quæq; in subiectâ mænia valle latent.

Hic

NATALIS RONDININI. 213

Hic gelida inuitat decedere solibus umbra,
 Quà crepitante leuis desilit unda pede:
 Hic, quæ rugoso seruent in cortice fagi,
 Ludere, quæq; canat dux gregis inter oues.
 Sed nihil ista iuuant: me tantùm flere sub antris,
 Et magnâ manes voce vocare iuuat,
 Siqua fides nostris tangi quoque fletibus umbras,
 Credibile est vatem, Cynthia, flessè tuum.
 Quiq; unâ tumulto teneri conduntur amores,
 Non ignes, solitas non habuisse faces.
 At tacitos iuxta cineres qui labitur annis,
 In mare turbatis mæstior ibat aquis.
 Et, quales olim cognati in funere vatis,
 Soluebat multis inferias lacrymis.
 Consuetæq; via, & læta inter gramina ripe
 Immemor, oblitum sæpè retorsit iter.
 Quis tibi, Mosa pater, mæsto sub gurgite sensus,
 Hæc propior nam te cura premebat, erat?
 Cùm rapidas tecum Vahalis confunderet undas,
 Confusas unâ miscuit & lacrymas.
 Heu pater infelix, qui dum volueris, amara
 Perpetui luctus in mare signa feres.
 Nec iam auro, & lætâ præcinctum tempora myrta
 Excipiet tectis Oceanus genitor,

*Sidroni interea, seu te noua gaudia calo,
 Seu te culta tenet vatibus ora sacris:
 Si te tangit honos, & adhuc sunt carmina cura,
 Nec toto cessit pectore noster amor:*

*Aspice, quem statuat tumultum tibi Roma, quod inde
 Iudicium de te posteritatis erit.*

*Non omnis moriere: tui pars maxima uiuet,
 Et cineri merces magna futura tuo est.*

*Mærenti Chisius dum te sub pectore condit,
 Non poteras tumulo nobiliore tegi.*

**F E R D I N A N D O
 F V R S T E N B E R G I O,**

*Musas Philomathis iuueniles auctiores
 cultioresque in lucem proferenti.*

T *Andem reuisunt aureum iubar solis
 Musæ Philomathis: gratulentur, & plaudant,
 Quæis & labores, & pericla, quæ terris
 Mariq; subeunt, aut seuera curarum
 Lyrâ subinde tibiaq; solari
 Incessit ardor. Quem sequantur, hîc cernunt.
 Hac ille, seu dum præliantibus fertur
 Per alta ventis, quâ fretum Cyclopeis*

Feruens